Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Nota quod addita Inferius sub hoc Signo ⊕

Consederat enim cum ipsis in capitulo et mansionem
monasterii intimam non uocata, quo liberius
loquerentur familiarem eis prestiterat audien
tiam, tandem mittitur per ea. Diu quesita in suo
familiari oratorio reperitur. Audito nuncio
surgit, festina in conuentum seniorum aliorum
ingreditur, pro debito loci sui assidet pontifi
ci. Tum multis ab ipso uerborum pergrauata
iniuriis, non modo a sede, sed et a capitulo indecen
ter repellitur. ⊕

Passio sancti kalimeri mediolanensis episcopi;

Translato ad celestem
curiam uiro preclarissimo
Castriciano atque in senatorum
illustrissimorum concilio quasi
bellicosissimo censore atque ue
terano triumphatore, nitenti
subsellio decibiliter subli
mato, plebs uiduata fidelium non modica ur
gebatur tristicia. Anxia multum et gemine hinc
inde mesticie ecclesia angore perlapsa, primum
de pastoris obitu et destitucione sui, deinde
de perlegendo successore, qui difficile posset
tanti uiri compar illo tempore inueniri. Quan
do quidem pestifera helii arriani (adriani) uexatione
per totum romanum orbem, maximeque ea parte
ytalie que cis alpina gallia nomen habet, dei
ecclesia durius quatiebatur. Qui primo imperii euen
tu mitem se se erga christianos uiros meminit.
Postmodum ad genuinam uelut canis rabiem
conuersus, insania inuidorum, quorum insolen
tiam uulgique uecordis stultissimis accla
mationibus adeo irritatus est, ut multorum
iussu eius martyria et cruciatus sanctorum quaquauersum
intonarent. Hac ergo causa collecti
pariter christum ihesum implorabant gemitibus
cordis et lacrimarum fontibus huc inde ma
nantibus. Sed deus omnipotens qui suorum oportuna
fidelium maxima semper cum pietate et pa
terna sollicitudine prouidet, non passus est suam
plebem sibi sedule obsequentem necessariis
diutius uiduari presidiis; quin potius solitum con
tinuo postulatus, quod ante secula presciuerat
et predestinarat, prebuit adminiculum. Erat nam
que id temporis in clero fauste ecclesie delegato
uir sanctissimus generis prosapia grauis sed
morum illustrium, scientieque probitate roma
nus, cui nomen kalimerus. Qui multa ab
stinentia et iugi uigilantia probe optime sa
ginatus, porro et indefessa diuinorum dog
matum meditacione habundantissime far
cinatus, qualem dei sapientie beatum appellat:
beatus inquiens qui uigilat ad me et obser
uat cottidie ad postes hostii mei, facile po
terat cum fratribus et condiscipulis bonorum operum
et euidens documentum tribuere, et ingens
exemplum prestare. Sed quia solet non numquam
in tabibus infaustus latere iactantie fastus,
quodam ficte sanctitatis uelamine palliatus,
et male casurum flebilis extollentie sub
ripere supercilium, is quem loquor uir mirificus
et omni laude celebrandus tante humili
tatis tanteque fuit mansuetudinis, ut
non solum cunctis in clero subiectis fratribus, uerum
etiam minimis quibusque officiis esset intentus.
De hoc uarie aduersis narratur, sed certior
est quorundam super eo ut suspicor relacio, quam
in presenti materia licet succincte utillimum
puto adicere. Decimo fere ante ueneran
de memorie Castriciani presulis excessum
anno, dum adrianus infelix deteriorari ut prefatus
sum ameliori proposito statuisset, atque christi cul
tores persequi non modo palam, sed se ipso fautore
insani capitis iussu decretis uulgatis ce
pisset, qua tempestate romane quoque ecclesie
summum pontificem thelesporum magnis uir
tutum preconiis insignitum, cuius sagacitate et
industria supra taxatus uir dei kalimerus
saluberrimis actibus et sacris monitis a
puero informatus, inter sepulchra martyrum la
titantem excitata lues inueniens, martyrum
meritis et numero copulare estimans, qua
si ipsum caput detrere ac peruertere ualuisset,
hoc est romanum pontificem, subiectiora fa
cilius membra, id est diffusas quaque per orbem ecclesias
et earum presules deglutiret atque confoderet,
cum ergo adhuc puer in iunioribus inbellis
degeret annis, ueritus ne si ad penam
similiter ut magister raperetur perdurare
non posset, secessit ab urbe latenter. Dumque
fugitiuus uiator aliquamdiu oberrando diebus
noctiumque conficeret iter, dei tandem re
uocatus auxilio, albam peruenit ad urbem,
que alio nomine mediolanum dicta est. Ibidem sepe

* Jdē: Hic praecisa & amputata Pars hujus Tertij Libri
& Quartus Liber ex toto Subtractus; Alibi quaeras, Si
poteris, hunc defectum: Nam hic omnino non Jnuenies.

⊕ hic precisa est et amputata pars
huius tercii libri et quartus liber
ex toto subtractus est alibi
queras si potes hunc defectum nam
hic omnino non inuenies *

helius adrianus